This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ga
9
690

Ga 9. 690.

Enger, R. De Aeschylis antistrophicorum responsionibus. Part. I.
Diss.
Breslau 1836.

Enger, R. (R. H.).

DE AESCHYLIIS

NTISTROPHICORUM RE-SPONSIONIBUS

PARTICULA I.

SCRIPSIT ET SUMMORUM

PHILOSOPHIA HONORUM RITE OBTINENDORUM
JUSSA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE IN UNIVERSITATE LITTERARUM
VRATISLAVIENSI

DIE X M. AUGUSTI A. CIOIOCCCXXXVI.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

(Rudolph Henrich)

ROBERTUS ENGER

CONTRA ADVERSARIOS

GUILELMUM ZASTRAM, CAND. PHIL.
JOHANNEM TZSCHIRNERUM, CAND. PHIL.
ANTONIUM BECKERUM, SEMIN. R. PHIL. SOC.

VRATISLAVIAE,

EX OFFICINA FRIEDLAENDERIANA.

1836.

Ga 9.690

1871, April 20.
Gift of
Ephraim W. Gurney,
Prof. in Harv. Univ.
(H.C. 1852.)

M. A. BREITNERO,

GYMNASII GLIVICENSIS MATHES. ET PHYSIC. PROFESSORI,

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

d. d. d.

Ga 9.690

§. 1.

Quod quum multis aliis in rebus usu videmus venire, tum in arte metrica esse factum facile, opinor, omnes concedunt huius rei aestimatores periti, ut quam rem usu cognovimus comprobatam, ea ratione sit haud raro destituta, certe legibus suis non consequens ex iisque apta; contra vero quaedam ratio admittat, quae non agnoverit usus: id ita intellexi in antistrophicas quas dicunt cadere responsiones, ut altero ascito a comicis poetis, posterioris temporis etiam tragicis, ad alterum accurati se contulerint tragoediarum scriptores, qui certis quibusdam finibus responsionum ratione circumscripta ipsi legem sibi praescripserint angustiorem quandam, quam posse etiam latius patere nec ratio vetet et aliorum doceat exemplum. Quae lex ut cognoscatur qualis sit quibusque teneatur angustiis, quum postulare videatur iusta poetarum tractatio, cognitaque multum ad vitia conferat tum detegenda tum rectius tollenda: magna tamen in hanc rem inquirenti propterea est cautio adhibenda, quod Aeschyli tragoediarum — ut iam eum significem, in quo omnis haec versabitur disputatio — nondum ita est usquequaque restituta inte-

gritas, quin facile quis possit corruptis nisus exemplis in errorem induci, et quia ipsa impellente hominum natura — credo quia id generi humano tributum, ut vi rationis caussas rerum investigare, quam casui quicquam concedere antiquius ducat — facile adducimur, ut quae fere animadvertimus certa quadam institui ratione raro tantummodo neglecta, ea semper existimemus ita fuisse instituenda, regulaeque tribuamus quod vel casui dandum vel cuidam consuetudini et mori, tantum non tali ut negligi certa conditione non posset. Ab quo errore ut nobis, quoad eius fieri possit, caveamus, et accuratissima poterit effici diligentia in afferendis omnibus, quae ad rem faciant exemplis et ea qua imprimis opus est prudentia et cautione ex critica singulorum exemplorum tractatione apta cumque ea connexa. Quam rationem nostram iccirco hic significamus, quia diligentia illa dum non expeti solum, verum etiam postulari posse videtur, de critica tamen singulorum exemplorum tractatione, quem illa possit ambitum tenere, quosve non debeat excedere fines, aliis aliter videri videmus. At nobis quum ita placuerit hac in re versari, ut si quo uteremur ad quamlibet sententiam comprobandam exemplo non satis certo, integram de eo institueremus disputationem, eo magis id statim in exordio scriptionis nostrae indicandum duximus, quia et exstitisse haud paucos intelligimus, et praesentimus exstituros, quibus totum hoc disputandi genus nescio quomodo stomachum fecerit. Horum igitur elegantiae scilicet studiosorum non curamus contemptum, nostramque persequemur rationem, ut qui non soleamus, ubi agitur de eo quod esse verum videatur, paginas numerare elegantiamque sectari. Non enim delectationis gratia hasce instituimus inquisitiones, sed in litteris ut proficiamus.

Omnem vero disputationem nostram eo constituimus spectare, ut quam satis constat accuratissimam ab Aeschylo esse antistrophicis responsionibus adhibitam diligentiam, qua syllabas soleret syllabis exaequare: quibus illa contineretur finibus, quibusque maxime conspiceretur locis, accuratius definiretur. Sunt autem loci isti triplicis, ni fallor, generis. Aut enim quae unius metricae figurae plures exstant formae diversae, earum si qua usus est Aeschylus, eandem semper voluit sibi respondere; aut certis quibusdam locis etiam in eo numeri genere, cuius diversae formae alibi sibi opponuntur, accuratissimam tamen instituit responsionem; aut denique quod singulis locis esse factum diximus, idem ad omnem pertinet aliquam tragoediam. Ex his igitur locis tribus, quoniam omnia complecti per huiuscemodi scriptionis fines non licet, pauca quaedam, quae et simpliciora et non inutilia admodum apparebant, in disputationem vocabimus.

§. 2.

Ac primum genus quod attinet, ab iis placet versibus exordiri, quos iambico-antispasticos nunc nominare liceat, vocabulo satis rei accomodato, quandoquidem vera est Godofredi Hermanni de hoc genere metri aliorumque virorum sententia impugnata illa a Boeckhio in dissertatione Indici lectt. Berol. aestatis a. 1827. praemissa, qui quum aliis multis, ut K. O. Muellero, Klausenio, Ahrensio, tum Gottholdo sententiam suam probavit, quibus respondit Hermannus ad Sophocl. Antig. vs. 844. p. 202. sq. et peculiari dissertatione Weissenbornius de versibus iambico-antispasticis Lips. 1834. Atque hanc quidem rem de-

nuo examini subiicere quum supervacaneum est, tum a consilio nostro alienum: de legibus vero, quibus compositi sunt isti versus, ita nunc accuratius explicare constituimus, ut quoniam duplicis sunt hi numeri generis, quorum alterum ex antispasto atque ordine iambico constat

⏑ –́ –́ – | ⏑ –́ ⏑ – –
| ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –

in altero vero antispasti locum dimeter occupat iambicus hypercatalectus

⏑ –́ ⏑ – – | ⏑ –́ ⏑ – –
| ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –

quibus addi etiam tertium potest formae huiusce genus

⏑ –́ ⏑ – – | ⏑ ⏑ –́ ⏑ – –
| ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –

de altero utriusque generis membro iambico quid statuendum videatur primum exquiramus. Ischiorrhogici generis esse iambicum illum ordinem Hermannus statuit in Element. doctr. metr. p. 230—234. his Aeschyli exemplis commotus:

Suppl. vs. 380. secundum Wellaueri editionem, quocum, ut par est, numeramus

μένει τοι Ζηνὸς ἱκταίου κότος.

Agamemn. vss. 190. 203.

τρίβῳ, κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων,
ῥείθροις πατρῴους χέρας βωμοῦ πέλας.

Pers. vs. 969.

πεπλήγμεθ', οἷαι δι' αἰῶνος τύχαι.

His igitur exemplis adductus eam quam dixi amplexus est sententiam Hermannus, quanquam fatendum esse ait, in plerisque locis, quorum magna est copia, ita puros servari iambos, ut dubitari possit,

an sicubi spondeus pro iambo reperiatur, de emendatione cogitari debeat. Hanc eandem sententiam sine dubitatione, certe quod ad prioris generis iambos attinet, in Epit. doctr. metr. p. 88. idem repetiit Hermannus. Intactam reliquit hanc rem Boeckhius, dubitationem iterum movit Weissenbornius, qui in dissertationis cit. p. 7—8. iambicam tripodiam eius quod prius vocamus generis ex antispasto et iambico ordine compositi semper puram censet esse servatam, in uno enim illo Supplicum exemplo ἱκταίου vocabuli loco in Guil. Dindorfii poetarum scenic. Graec. editione ἱκτίου legi. In altero autem horum versuum genere composito illo ex duplici ordine iambico cum Hermanno rarissime statuit (p. 26) mutationem locum habere. Novissime denique omnem huius numeri doctrinam iterum examini subiecit atque accuratissime tractavit Hermannus in Diariis philolog. Darmstad. a. 1835 p. 380—403. qui semper docuit alteram horum versuum partem ex puris constare iambis. Argumentis quidem non firmavit novis sententiam suam, neque exempla illa quomodo corrigi possent ostendit, corrigenda vero esse, corrigique facili negotio posse significavit. At nobis, quibus iam pridem eadem est atque Hermanno de numeris hisce sententia, ex summa diligentia ista, qua Aeschylum constat tum omnino in versibus elaborandis esse versatum, tum antistrophicorum sectatum concinnitatem, satis grave videtur peti argumentum posse, quo Hermannianum comprobetur praeceptum. Etenim mirum profecto illud debet videri, quod quae contrarium arguunt exempla, ea apud Aeschylum solum reperiuntur, in quo multo etiam magis illud est mirum atque paene incredibile, cur tandem si spondeo licuit uti, nullum reperiatur exemplum eiusmodi, ut eodem loco et in

stropha et in antistropha positus sit spondeus. Quicquid enim statuitur de spondeo omnino non admittendo, rarissima utique est eius admissio, ita ut eo magis fuerit curandum, quae non satis usitata esset numeri forma, ei ut ne diversa in responsione opponeretur: cuius vim argumenti sentient qui ab harum rerum investigatione non prorsus abhorrent. Accedit, quod trium illorum exemplorum unum quod est in Persis, alia quoque arguunt indicia non esse vacuum ab vitii suspicione. Dicam de eo accuratius. Versus strophicus et antistr. sic librorum Mss. testimoniis proditi sunt:

βεβᾶσι γὰρ οἵπερ ἀγρόται στρατοῦ.
πεπλήγμεθ', οἷαι δι' αἰῶνος τύχαι.

De sententia si quaeritur antistrophici versus per est incommode illud *δι' αἰῶνος* hic dictum, ne dicam inepte. Neque enim infortunium Persarum apte potest hoc loco dici aeternum, neque iis quae Chorus respondet, altera haec respicitur sententiae pars, id quod in huiusmodi locis observari solet sat diligenter. Hoc incommodum duplex prorsus ea tollitur quam scholiasta affert *δαίμονος τύχαι* scriptura improbata illa ab Hermanno in Element. doctr. metr. p. 234. quippe quae correctionis potius quam genuinae scripturae speciem habeat: quod nego equidem atque pernego. Non enim affertur quod ille ait *οἷαί τε δαίμονος τύχαι* sed *οἷαι δαίμονος τύχαι*, quod quum metrum adiuvare non videatur, correctionem omnium minime haec scriptura redolet, quum praesertim altera non sit exquisitior, atque adeo Aeschylo usitatissimum illud *δι' αἰῶνος*, veluti in Choeph. vs. 26. *δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ* et similiter Eumenid. vs. 533. *δι' αἰῶνος δὲ τὸν πρὶν ὄλβον ἕρματι προσβαλὼν δίκας ὤλετ' ἄκλαυστος* et *τὸν δι'*

αἰῶνος χρόνον Agamemn. vs. 540. Accedit quod idem δαίμονος τύχαι etiam libri Medicei margini est ascriptum, quae libri Medicei scripturae in satis magno earum numero maximam partem veritatis fere commendantur specie. Sic eiusd. fabul. vs. 949. in libro istò in verborum perpetuitate positum est ὕϊγγα, in margine tamen verum ascriptum: γρ. ἴυγγα; — in Suppl. vs. 8. quum φυλαξάνορὰν exhibeat codex, in margine additum est: γρ. φυξάνορὰν; — in Choeph. vs. 85. liber Medic. quique cum eo fere consentiunt Guelpherb. et Robort. τύφῳ praebent, cuius loco etiam τύμβῳ legi in Medicei margine significatur, id quod verum est haud dubie: quod enim Wellauerus τάφῳ inde coniicit olim scriptum fuisse, id eiusmodi est, ut etiamsi ipsum in libris illis exstaret, alterum nihilominus praeferendum esset; — in Sept. contra Theb. vs. 572. ἔχων in Mediceo aliisque scriptum est libris, at in Medicei margine γρ. νέμων cuius illud glossema est; — in Choeph. denique, ne plura expromam exempla, in omnibus libris vs. 127. inepta legitur scriptura haecce: κἀγὼ χέουσα τάσδε χέρνιβας βροτοῖς λέγω, satis imperite ab Wellauero defensa. At ipsum illud quod desideratur, Mediceus praebet, in quo supra scriptum est: γρ. νεκροῖς. Haec afferenda putavi, ne temere viderer nimiam tribuere istius libri scripturae auctoritatem. — Iam vero ad strophicum nos convertamus versum, qui tantum abest, ut usitatam antistrophici versus scripturam tueatur, ut ipsum mutatione haud sane facili emendari necesse sit, responsionis ut restituatur integritas. Quae quum ita sint, criticae artis legibus convenienter videor acturus, si quae duae exstant antistrophici versus scripturae, testimoniorum auctoritate utraque comprobata, earum altera neglecta, quae quum sententiam contineat in-

eptam, tum ita tantum conciliari cum strophici versus numero potest, ut mutatione opus sit sat violenta: si igitur hac relicta ad alteram me applico scripturam, quae et sententiae commendatur integritate, et strophici versus concinit metro leviter perpoliti. Quocirca sic arbitror antiquitus scriptum fuisse:

βεβᾶσί γ' οἵπερ ἀγρόται στρατοῦ.
πεπλήγμεθ', οἷαι δαίμονος τύχαι.

Etiamnum tibi non persuasi? En, habeto simillimum eiusdem fabulae versum **1001**. βαρεῖά γ' ἄδε συμφορά ubi eundem errorem animadvertes in quinque libros irrepsisse, quo hoc quidem loco reliqui carent. Quodsi vero quaeris, qui tandem factum sit, ut δαίμονος in δι' αἰῶνος converteretur satis diversam ut videtur scripturam, nihilominus librariorum errori id videtur tribuendum haud illi difficili explicatu. Natum est enim *ΔΙ* ex proxime antecedente *ΑΙ* quod quum semel esset factum, vobabulum necesse erat sequeretur ab vocali incipiens, ut omnino nihil facilius fieri potuit, quam ut haec *ΑΙΔΑΙ*-*ΑΙΔΙΑΙ* inter se permutarentur: reliqua librariorum correctioni tribuenda, in quam correctionem facilius incidere poterant, quo usitatius est istud genus dicendi. — At video iam quosdam homines hoc litterarum studium cavillantes incredibiliter putidamque istam ac futilem irridentes sedulitatem atque ludificantes: qui mihi videntur non modo recte iudicare de hoc philologiae studio, sed ne illud quidem, quid tandem esset criticam recte factitare artem satis cogitavisse. Est autem, ut hoc ipsum comprobaturus exspatier aliquantulum, est igitur cummaxime in his Aeschyli libris frequens *Δ* et *Λ* litterarum permutatio, quod quum multis locis criticos non fugerit, plura tamen etiam-

num huius permutationis latent exempla, quorum nonnulla apposui.

In Agamemn. vs. 327. usitatum scribendi genus est hocce:

ὡς δυσδαίμονες
ἀφύλακτον εὐδήσουσι πᾶσαν εὐφρόνην.

δυσδαίμονες esse ineptum critici fere consentiunt, emendandi tamen probabilem rationem nullandum video esse repertam. Quod enim nuperrime Halmius olim ὥστ' εὐδαίμονες exstitisse coniecit, collaudatum illud ab Hermanno in Diar. phil. a. 1835. p. 1118, magnam probabilitatis speciem non habet, sive litterarum spectas similitudinem sive quaeris depravationis iustam explicationem. Sententiam vero huius loci unus perspexit Orellius, qui tantum non verum vidit, quum ὡς δ' ὁμαίμονες Aeschylum posuisse suspicaretur. Namque ea respiciuntur, quae inde ab vs. 323. narraverat Clytaemnestra πρὸς οὐδὲν ἐν μέρει τεκμήριον κ. τ. λ., quibuscum apprime congruum est quod mihi persuasi librariorum negligentia in δυσδαίμονες depravatum esse αὐθαίμονες. Forsitan nimis cuipiam videatur haec mutatio violenta: at non item harum rerum peritis, qui non ignorent, quoties tum σ et θ litterae imprimis in his Aeschyli libris Mss. sint permutatae, tum propter δ et α litterarum similitudinem alterutra earum aut addita aut omissa. Quorum illud quum hoc loco sit factum alterum mihi persuasum est usu venisse in Choeph. vs. 803. ubi et numero repugnante et hiatu admisso haec offendes per libros vulgata:

κρύπτα. ἄσκοπον δ' ἔπος λέγων.

quam scripturam qui cum edit. Glasgov. in κρύπτ' ἄσκοπον mutaverunt, satis imperite id instituerunt. At vero in libro Mediceo non κρύπτα positum est, sed κρυπταῖος, cuius vocabuli ultimam syllabam fa-

cile apparet ex initio esse natam vocis proxime insequentis: κρυπται autem nihil aliud est nisi κρυπτάδι'. Numerus huius versus

κρυπτάδι'. ἄσκοπον δ' ἔπος λέγων.

idem est atque proximi. Qui vero antecedit versus cur spurius habeatur, nullam omnino video caussam idoneam: imo necessarius est quam maxime propter vim sententiarum, quarum nexus illo deleto simul deletur omnis. — Haec quum maxime scriberem, en Klausenii affertur Choephor. editio, quem libri Medicei scripturam video non praetermisisse, similemque incidisse in coniecturam quod ad verbum, quod ad sententiam attinet longe diversam. — His duobus tertium placet adiicere exemplum item ex Choeph. petitum. Scripturam vss. 638. 639. hanc fere accepimus librorum proditam memoria:

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δώμασιν,
δωμάτων παλαιτέρων —

et numero laborante et sententiae deficiente integritate, quae Wellauerianae explicationis non adiuvatur tenuitate. Unus tamen liber Mediceus non δώμασιν sed Δίμασε exhibet, quod miror interpretes non attendisse. Διμασε est enim corruptum Αιμασε, quod eodem modo in δώμασιν mutaverunt, quo αἱμάτων proximi versus in δωμάτων depravatum est. Mihi Aeschylia ad pristinum nitorem ita revocari posse videntur:

τέκνον δ' ἐπεισφέρει, δι' αἱμάτων
αἱμάτων παλαιτέρων τίνειν μύσος
χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς.

Persentiscisne iam quid sibi velit παλαιτέρων comparativus? δι' vero quod interposui, ab externae non abhorret probabilitatis specie. Strophicus enim versus qui nullum vitii continet indicium, neque tentari

ab criticis debebat, antistrophicum docet una breviorem syllaba esse, quae addi ratione quam factum est faciliori non potest. — Dixit modo de hoc loco K. O. Muellerus in Diar. phil. a. 1836. p. 36. qui stropham et antistropham sic distribuit:

630. τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος
διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ
διαὶ Δίκας (τὸ μὴ θέμις γὰρ λὰξ πέδον πατούμενον
τὸ πᾶν Διὸς σέβας) παρεκβάντας οὐ θεμίστως.

638. τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοις ἐξ αἱμάτων παλαιτέρων
τίνειν μύσος, χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς.

Is igitur et strophicum et antistrophicum versum duobus locis mutandum censuit, ut sententia eliceretur, quae neque in verbis inest, et si extricari possit, ea certe ratione non debebat efferri. Hoc enim omnium maxime intelligendum est, nunquam posse ea verba, quae primum audita necessario videntur coniungenda esse, artificiosa seiungi constructione: nemo enim, qui haec audit verba τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκβάντες οὐ θεμίστως ea non coniunget illico cogitatione.

Illuc revertor. Uno igitur violatae responsionis exemplo remoto alterum quod est in Suppl. iam supra significavi, quomodo a Dindorfio correctum sit. Aliam praeterea rationem exstare, qua removeri possit spondeus Hermannus significavit, neque vero ostendit. Forsitan omnino integer sit hic locus, ita ut ἱκταῖος vocabuli mediam corripi statuatur. Probe quidem intelligo certis quibusdam contineri hanc rem finibus, certaque tantummodo vocabula esse, in quibus sibi istud permiserint poetae scenici: at non minus illud quoque arbitror suam quandam habere, qua nitatur rationem iustam, omnia quoniam nosse non

possumus exempla, ibi analogiae aliquid esse tribuendum, ubi etiam alia accedat ratio. Γεραιός igitur quum sciamus mediam corripere, sicut δείλαιος et παλαιός — quanquam hoc quidem vocabulum iam ab Seidlero et aliis in dubitationem vocatum nunc ex horum numero exemtum est docta Guilelmi Dindorfii ad Euripid. Electr. vs. 497. annotatione in edit. poet. scen. praef. p. XXVIII. — cur idem in ἱκταῖος vocabulo esse factum negemus, in vocabulo, quod quum alibi non reperiatur, correptionis exemplum alterum desiderari nequit? Eodem modo video argumentatum esse Hermannum in Annott. ad Medeam ab Elmsl. editam in Opusc. tom. III. p. 196.

Difficilius est de Agamemn. vss. 190. 203.

τρίβῳ, κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων.
ῥείθροις πατρῴους χέρας βωμοῦ πέλας.

certi quiddam constituere. Antistrophica quidem responsio restitui possit transpositione, ut similiter in Pers. vs. 670. verae τάφου πέλας scripturae loco πέλας τάφου in aliquot libris exstat: sed ne sic quidem ferri haec versus forma potest, etsi emendationis ratio admodum debet dubia videri. Qui enim probato Schuetzii invento Ἀργείων in Ἄργεος mutantis βωμοῦ antistrophici versus in τάφου convertere vellet, is quantum consuluisse concinnitati, tantum iudicandus esset detraxisse de coniecturae suae probabilitate. At vero praecepto cuipiam non ficticio illi sed constanti usquequaque usu stabilito unum quum obstare videtur exemplum: usque adeo, dum idonea correctionis appareat via, iudicium de eo differe quam omne evertere velle praeceptum rationi convenientius duco. — Ceterum vix commemoratione est dignum quod Klausenius Ἀργείων vocabuli penultimam corripi statuit, quod non magis fieri hic potest quam in

Choeph. vs. 417. ἔκοψα κομμὸν Ἄρειον de quo versu dixit in Choeph. edit. p. 138.

§. 3.

Quod ad prius versuum iambico-antispasticorum attinet membrum, eius quae in responsionibus obtineat ratio hic quaerere omitto, quia tota haec res accurate tractata est ab Hermanno l. c. qui quum longam antispasti anacrusim neget posse concedi nisi soluta sit prior arsis, in iis quae p. 385. affert exemplis corrigendis, etiam Choephor. videtur numerandus esse versus 399.

ποῖ, ποῖ δὴ νερτέρων τυραννίδες;
ant. τί δ' εἰπόντες τύχοιμεν, ἢ τάπερ.

Plura sunt sane longae anacrusis exempla, ut nunc quidem ut res est, dubitari possit, verumne sit reapse istud praeceptum, an eodem modo hic licuerit ancipitem admittere anacrusim, quo id de altero horum versuum genere, in quo ab ordine iambico initium fit, ipse ratum fecit Hermannus. Ab quo unum huius rei exemplum p. 387. allatum est ex Suppl. vss. 535. 544.

λειμῶνα βούχιλον, ἔνθεν Ἰώ.
περᾷ δὲ Τεύθραντος ἄστυ Μυσῶν.

Praeterea huc pertinere puto eiusdem fabulae vss. 556. 565.

ὕδωρ τὸ Νείλου νόσοις ἄθικτον.
τὰν δ' αὖ γυναικός. τέρας δ' ἐθάμβουν.

qui posterior versus non assequor cur videatur Hermanno suspectus. Agamemn. 1515. 1544.

δέδοικα δ' ὄμβρου κτύπον δομοσφαλῆ.
μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν χρόνῳ Διός.

Choephor. 582. 590.

πλάθουσι βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι.
ἔρωτας ἄταισι συννόμους βροτῶν.

Pers. 275. 281.

ἔθεσαν, αἰαῖ, στρατοῦ φθαρέντος.
ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ' ἀνάνδρους.

Agamemn. 190. 203.

τρίβῳ, κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων.
ῥείθροις πατρῴους χέρας βωμοῦ πέλας.

Denique ex Bergkii ratione in Diariis philolog. Darmstad. a. 1835. p. 949. prolata Eumenid. 520. 528.

ἐκ τῶνδ' ἀνάγκας ἄτερ δίκαιος ὤν.
καλεῖ δ' ἀκούοντας οὐδὲν ἐν μέσῳ.

Exemplum longae anacrusis in stropha et antistropha Hermannus affert ex Suppl. vss. 589. 594. Alterum reperitur in Sept. contra Theb. vss. 925. 937.

θηκτὸς σίδαρος· πικρὸς δὲ χρημάτων.
ἔστακεν Ἄτας τροπαῖον ἐν πύλαις.

Hoc unum addo, non recte mihi videri Hermannum p. 388. formae huic

⏑ – ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ – –

Agamemnonis annumerasse versus 747. 755. qui potius eius sunt formae, cuius exempla affert p. 386.

⏑ – ⏑ – – | ⏑ ⏑ – ⏑ – –

θράσος, μελαίνας μελάθροισιν ἄτας.
σέβουσα πλούτου παράσημον αἴνῳ.

quo si praeterea cum Hermanno statuimus pertinere Choeph. vss. 462. 467.

ἰὼ δύστον' ἄφερτα κήδη.
θιώκειν ἔριν αἱματηράν.

et vss. 463. 468. eodem iure etiam vss. 378. 392.

βροτῶν τλήμονι καὶ πανούργῳ.
δίκαν δ' ἐξ ἀδίκων ἀπαιτῶ.

huc erunt referendi, quique proxime sequuntur versus

χειρὶ, τοκεῦσι δ' ὅμως τελεῖται.
κλῦτε δὲ τὰ χθονίων τιτηνά.

huius formae —⏑⏑—⏑ | ⏑—⏑—— exemplis annumerandi.

§. 4.

Ab his versuum formis eae seiungendae sunt, quae ex antispasto constant atque diiambo. Eos quidem versus exstitisse unquam nunc negat Hermannus l. c. p. 382., Choeph. enim versum 404. aliter esse distribuendum, Agamemn. versum 395. corruptum. In quo quum alterum vere sit animadversum, de altero nunc iudicari propterea non potest, quod neque in qua re cernatur corruptela ostendit, neque cuius sint generis hi versus significavit, ita ut librorum scripturam ceteroqui non improbabilem iure meo usque videar tenere posse, dum meliora docuerit Hermannus. In ipsa autem numeri compositione quoniam nihil cur improbetur apparet inesse, solo haec res videtur usu diiudicanda esse. Etenim quemadmodum dochmio unus reperitur iambus adiectus, et duo et plures: quidni quem unus sequitur iambus antispastum et tres, eundem sequantur duo. Quin imo ulterius etiam progredior hisce. Versus illi qui ex antispasto compositi sunt et uno iambo quoniam iambicis ischiorrhogicis ita similes sunt, ut discerni ab iis non queant, nisi brevis servetur ultima antispasti syllaba: eam haec similitudo in illos antispasticos versus qui in diiambum exeunt, exercuit vim, ut ischiorrhogici esse generis istum vellent diiambum. Eiusmodi versus sunt in Agamemn. 1113. 1123.

νόμον ἄνομον, οἷά τις ξουθά.
τὰ δ' ἐπίφοβα δυσφάτῳ κλαγγᾷ.

Hoc enim modo si recitamus hos versus multo eos intelligitur concinniores esse, quam si dimetrum statuimus antispasticum, quem haud scio an nunquam usurpaverint scenici poetae. Ceterum de scripturae quam exhibui integritate non videtur dubitari posse. Libri quidem nonnulli, in iis Mediceus ἐπιφόβῳ exhibent, quod etiam ipsum non est ineptum praesertim Hermanni mutatione recepta τί reponentis in Elem. doctr. metr. p. 229. Epitom. p. 86. Sed quum nova hac interiecta interrogatione tota inconcinnior fiat sententia, et in strophico versu γέ particulam optimi libri omittant, errori tantum tribuenda esse altera illa scriptura videtur. — Eadem ratione recitandi sunt Pers. vss. 274. 280.

δάοις, ὡς πάντα παγκάκως.
ὡς πολλὰς Περσίδων μάταν.

Iam nihil arbitror obstare, quominus formae istae ⏑ ⏓ ⏑ — et ⏑ ⏓ — — antispasto iunctae invicem sibi in responsione opponantur. Neque deest, si quid video, huius responsionis exemplum forma hacce

— ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ | ⏑ ⏓ ⏑ —
— ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ | ⏑ ⏓ — —

siquidem ex dochmiorum numero eximendi videntur Sept. c. Theb. versus 204. 210.

ἁπτόμενον πυρὶ δαΐῳ
κρημναμίαν νεφελᾶν ὀρθοῖ.

Similiter dochmiacorum versuum clausula antispastica utitur Aeschylus eiusdem fabulae vss. 189. 197.

δια — ατόμια πυριγενετᾶν χαλινῶν.
πόλεος ἵν' ὑπερέχοιεν ἁλκάν.

idemque factum esse arbitror vss. 142. 149.

ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός.
ἐπτάπυλον ἔδος ἐπιρρύου.

cuius antispasticae formae in iambic. penthem. exeuntis —⏑⏑⏑⏑⏑ | ⏑–⏑—— exemplum ex Rheso attulit Hermannus l. c. p. 388.

Praeterea huic generi metri annumerandi videntur eiusdem fabulae vss. 988. 989. 994. hac forma ⏑⏑⏑–— | ⏑–⏑—

ἰὼ ἰὼ καὶ πρόσω γ' ἐμοί.
ἰὼ ἰὼ δυστόνων κακῶν.
ἰὼ ὅπου τιμιώτατον.

Antispastus talis quoniam, si ultima eius syllaba est longa, simillimus exsistit diiambo ischiorrhogici generis, cavendum est, ne hac similitudine in errorem patiamur nos induci, id quod accidisse video Wellauero, qui Sept. c. Theb. versui 917. διατομαῖς οὐ φίλαις in antistropha recte arbitratur opponi διοσδότων ἀχέων, antispasto enim respondere diiambum, quod fieri nequit, neque ischiorrhogici hos versus generis esse proximi docent. Eodem modo forsitan antispasticos quispiam statuerit eiusdem fabulae versus 750. 756.

τὰ δ' ὁλοὰ τελλόμεν' οὐ παρέρχεται.
πόλεως πουλύβοτός τ' αἰὼν βροτῶν.

quos ita correxit Dindorfius in edit. poet. scen.

τὰ δ' ὁλοὰ πελόμεν' ὀὺ παρέρχεται.
πόλεος ὁ πολύβοτός τ' αἰὼν βροτῶν.

quanquam ne sic quidem probabilem assecutus est responsionem. Totus locus restituendus videtur in hunc modum:

τέλειαι γὰρ παλαιφάτων ἀρᾶν
βαρεῖαι καταλλαγαί,
τὰ δ' ὁλό' ἀτελέ' οὐ παρέρχεται.
ant. τίν' ἀνδρῶν γὰρ τοσόνδ' ἐθαύμασαν
θεοὶ καὶ ξυνέστιοι
πόλεως πολύβοτός τ' αἰὼν βροτῶν.

Scripsi παλαιφάτων libri Medicei auctoritate contestatum, quod a librariis in παλαίφατοι mutabatur, quum ἀρᾶν propter frequentem ν et ι litterarum permutationem in ἀραί depravatum esset. Sententia istorum αἱ βαρεῖαι καταλλαγαὶ τῶν παλαιφάτων ἀρᾶν τέλειαί εἰσιν, sua quadam commendatur dictionis brevitate.

§. 5.

Quod denique iambos istos attinet ischiorrhogicos, qui per se efficiant versum, ita iis Aeschylus est usus, ut easdem semper in responsionibus opponeret formas in omnibus eius quas habemus fabulis una excepta Sept. c. Theb. conf. vss. 879, 891; 880, 892. et fortasse Pers. 273. 279.

Huc etiam pertinent Sept. c. Theb. vss. 760. 767.

ἐπεὶ δ' ἀρίφρων.
τέκνοις δ' ἀραίας.

quemadmodum corrigendum existimo hunc locum sententia et metro arguente. Quod enim constat in compositis vocabulis brevem vocalem posse produci, quam sequitur muta cum liquida — cujus rei exempla, quorum numerus facile potest augeri, congesta sunt in Soph. Oed. T. edit. Herrmann. p. 126. sq. — id fieri posse nego, si longa est quae proxime antecedit syllaba ancipitem numero admittente. — Idem quod modo in compositis dixi factum esse vocabulis, fieri negat Rich. Porsonus ad Euripid. Orest. vs. 64. ubi verbum in brevem vocalem desinat, eamque duae consonantes excipiant, quae brevem manere patiantur: quode priusquam ad aliud dissertationis meae transeo caput, explicatius paullo dicam, ut si in postera disputatione eo reverti opus sit, habeamus ubi pedem figamus.

§. 6.

Dixerunt de hac productione post Rich. Porsonum Erfurdtius ad Sophocl. Aiac. 1109. ad Oedip. T. 1039. — Petrus Elmsleius ad Euripid. Heracl. 753. Aug. Seidlerus de verss. dochm. p. 21. ad Euripid. Electr. 1053. G. Dindorfius ad Aristoph. Acharn. 545. Lobeckius ad Sophocl. Aiac. 1120. p. 443. 444. Matthiaeus gr. Gr. tom. I. p. 101. — Nos quae apud Aeschylum reperiuntur exempla ita recensuimus, ut primum carminum ratione habita lyricorum deinde quae in iambicis diverbiorum trimetris exstare videntur huius productionis exempla exhiberemus. Usu enim potest haec res diiudicari et debet, quanquam ratio non est negligenda, de qua ita statuit Augustus Matthiaeus, ut tametsi debilior videatur positio ista, tamen si quae inveniantur exempla ceteroqui non vitiosa, abstinendum putet ab correctione: esse enim principii, ut dicunt, petitionem, quum quod demonstratum nondum est, ita usurpamus quasi esset demonstratum. Verum enim vero speciosior est quam verior ratiocinatio ista, siquidem non de incerto quodam agitur praecepto, sed de regula exemplorum comprobata multitudine infinita, cui si pauca quaedam repugnare videntur, dubitationem augere et librariorum debet dubia fides et emendationis si adest facilitas; tollet vero multorum consensio exemplorum. Videndum igitur de exemplis.

Non pertinet huc qui afferebatur Promethei versus 609.

παθεῖν τί με χρή· τί φάρμακον νόσου.

quem recepto Elmsleii invento vere sine dubio cor-

rexit Carolus Reisigius Emendation. in Prometheum in Apparatu critico et exegetico in Aeschyli tragoedias p. XXIIII.

παθεῖν, τί μῆχαρ ἢ τί φάρμακον νόσου;

quod postulat strophicus versus 588.

γεγυμνάκασιν, οὐδ' ἔχω μαθεῖν ὅπῃ.

Certum exstat exemplum in Eumenid. 356.

τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μύσος πεπόταται.

quod in dactylico versu nullam omnino habet offensionem, in quo ita ex epicis poetis tragici pendent, ut vel brevis syllaba videatur posse ictu efferri, quemadmodum id factum est in Sophocl. Antig. 134. ἀντίτυπα δ' ἐπὶ γᾷ πέσε τανταλωθείς quem versum correxit Porsonus, defendit post Erfurdtium Hermannus, quanquam quo Erfurdtius ad hanc rem comprobandam usus est exemplo Euripideo, eo nihil effici patet. Ἴτυν nominis proprii ultima producta est apud Sophocl. in Electr. 145. et in versu anapaestico apud Aristophanem in Av. 212. Alius generis alia sunt. — Eodem loco habendum est alterum Aeschyli exemplum quod est in Septem contra Theb. 1048.

γένος ὠλέσατε πρυμνόθεν οὕτως.

In numero dochmiaco tria inveniuntur exempla haecce: Sept. c. Theb. 986.

δώμασι καὶ χθονὶ, πρὸ πάντων δ' ἐμοί.

qui locus parum est usque restitutus, ut nihil probet hoc exemplum: conf. Seidler. de vss. dochm. p. 84. Alter est in Persis 654.

ὅπως καινά τε κλύῃς νέα τ' ἄχη.

quem versum non uno esse nomine suspectum suo demonstrabitur loco.

Tertius denique Promethei est versus 583.

πυρὶ φλέξον, ἢ χθονὶ κάλυψον, ἢ.

ubi πυρί με φλέξον correxit Erfurdtius, recepit Guil.

Dindorfius: postulat enim numeri concinnitas correctionem istam.

Praeterea ex lyricis carminibus duo adiicienda sunt exempla, in quorum altero Choeph. 598.

πυρδαῆ τινα πρόνοιαν

nihil omnino cogit ut τινά vocabuli ultimam statuamus productam. Alterum Eumenid. 248. ita correxit Hermannus in Opuscul. VI. part. II.

ὃ δ' αὖτέ γ' ἀλκὰν ἔχων,
περὶ βρέτει πλεχθείς θεᾶς ἀμβρότου
ὑπόδικος θέλει γενέσθαι χρεῶν.

quae correctio non una de caussa necessaria est.

In iambicis diverbiorum trimetris haec reperiuntur positionis illius exempla: Prom. 612.

λέξω τορῶς σοι πᾶν, ὅτι χρῄζεις μαθεῖν.

ubi vix dubitari potest, quin ὅπερ posuerit Aeschylus.

Choeph. 841.

οὗτοι φρένα κλέψειαν ὠμματωμένην,

quod recte mutatum est in οὗτοι φρέν' ἂν κλέψειαν: quod enim Klausenius ait inepte ἄν hoc loco positum esse, ipsi videat ne inepti quid exciderit, qui praeterea satis imperite huc refert Euripidis versum Ion. 1350. ἢ τίνα βλάβην et incredibili cum levitate Iphig. Taur. vs. 503. τί δὲ φρονεῖς.

Corruptus est Suppl. vs. 256.

ὑγρᾶς θαλάσσης· τῷνδ' ἔτ' ἐπὶ τάδε κρατῶ.

Liber Mediceus habet τῶνδε τ' ἄπειτα κρατῶ ut verum videatur τῶνδε τἄπειτα κρατῶ. Quum vero in Robort. qui eandem exhibet scripturam δέ additum sit, quod etiam in reliquis libris legitur, magnam probabilitatis speciem habet quod Schuetzius recepit τῶνδε τἀπὶ τάδε κρατῶ quanquam molestus est tribrachus in quinto pede incisione post eum admissa, de qua dixit Seidlerus de vss. dochm. p. 384.

Pers. 768.

Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς ὢν νέος νέα φρονεῖ.

quod alii aliter correxerunt: defendit Lobeckius et recepit Dindorfius. Fragm. 282. edit Dindorf.

τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφήμερα φρονεῖ.

ubi recte restituit Lobeckius *ἐφ' ἡμέρᾳ φρονεῖ.*

Ex his igitur si iudicium pendet exemplis — quae enim vel Sophoclea vel Euripidea accedunt corrupta sunt maximam partem, aut ita comparata, ut iudicari de iis nequeat, veluti quod in Etymologicis affertur Sophoclis ex Troilo fragmentum 560. edit. Dindorf. *πρὸς ναρὰ δὲ κρηναῖα χωροῦμεν ποτά* — non arbitror cito quemquam sibi persuasurum de iusta quam efficiant litterae illae positione, nisi in numero dactylico quique sunt generis eiusdem, ut Hermannum satis mirari non queam, qui vel Aristophanem statuit productionem istam non esse aspernatum Nub. vs. 508. De numero dochmiaco nullo pacto id potest concedi, qui numerus omnium maxime abhorret ab istarum licentia rerum. In iambicis vero trimetris quoniam unum tantummodo reperitur exemplum in Persis, ne illud quidem vacuum ab scripturae discrepantia quadam, merito videtur dubitari posse, an corrupti quid in hoc versu lateat: sin minus, aliam mihi videor repperisse viam quandam, qua et praecepto isti sua maneat vis, et nonnullorum integritas exemplorum vindicetur ab dubiis criticorum tentationibus. Quam enim non gravati sunt in compositis vocabulis admittere productionem, eam puto non aspernatos esse poetas, ubi duorum vocabulorum ea est coniunctio, ut unius instar possint haberi. Quemadmodum igitur *νεοφρονεῖ* pronuntiaturi erant, si uti voluissent vocabulo tali, sic pronuntiasse credibile est *νέα φρονεῖ* vocabula duo, at eandem efficientia notionem atque

illud. Hoc modo etiam defendi possit, quod Euripides perhibetur dixisse in Polyid. *οὐ γὰρ παρὰ κρατῆρα καὶ θοίνην μόνον*, quanquam hic quidem versus quomodo emendari possit, in promptu est. At quicquid statuitur hisce de rebus, nunquam productio talis ibi potest admitti, ubi quae sic effertur arsis longam habet anacrusim, ut qui in Prom. vs. 434. scripserunt

μή τι χλιδῇ δοκεῖτε μήτ' αὐθαδίᾳ

mirandum in modum corruperint versum, librorumque ultro neglexerint auctoritatem, in quorum optimis neque *τί* neque *μήτε* est scriptum. Prorsus autem perverso illa ratio nititur iudicio, qua Wellauerus vel iis locis, ubi productionis difficultas addito *ν ἐφελκ.* facile poterat tolli, id non ausus est contra libros reponere, quod pluribus locis additum revera est in libro Mediceo, ut cognoscitur ex ea, quae in Aeschyli editione Weigelii sumtibus a. 1827. excusa exstat huius libri cum Schuetzii editione colatio. Nihil tamen hac quidem in re Mediceo tribuendum, in quo, si omnia contuleris exempla, plerumque additum esse intelliges *ν ἐφελκ.* etiam iis in locis ubi ferri propter metricam rationem nequit. Nullo igitur pacto probabile est Wellaueri iudicium, addendumque *ν ἐφελκ.* Prometh. 740. 827. 843. Sept. contra Theb. 416. 420. 474. Pers. 805. Agamemn. 478. 685. 1302. Eumenid. 368.

§. 7.

Revertor ad id quod instat. Ac de eiusmodi numero quum usque disputatum esset, qui una fere eademque compareat forma, nunc dicatur de numero dochmiaco omnium maxime multiformi quique liberrimam patitur responsionis rationem. Nihilominus haec

quoque res certis circumscripta est finibus, neque quae apud Sophoclem et Euripidem reperiuntur, eadem etiam Aeschylum statui potest sibi permisisse. Apud illos enim poetas quum constare videatur eam dochmii formam, quae molosso finitur, saepe alteri respondere quae in creticum exit: idem nego apud Aeschylum certo posse probari exemplo. Neque haec res suam qua nitatur rationem non habet. Cretico enim in molossum mutato longe diversus exsistit numeri incessus antispasto similis cui addita sit una syllaba, quod ut delitesceret quodammodo, diligenter curaverunt poetae, ut post antispastum ne admitteretur caesura. Ita hoc necessarium est in illa dochmii forma, ut ferri nequeat versus in quo peccatum sit contra istud praeceptum. Diligentem igitur poetam, qualem novimus Aeschylum, qui vel in iis metricis formis, quarum permutatio nullam habet offensionem, summam sectatur antistropharum concinnitatem, vix est credibile illarum quae satis sunt diversae dochmii formarum admisisse responsionem. Quam responsionem quae tueri videantur quum satis magna suppetat exemplorum copia, quid de iis videatur iudicandum esse, accuratius nunc explicabitur: in quo duo sunt quae prius quam ad ipsam rem transgrediar, monere visum est. Quae enim librorum memoria admodum depravatorum turpissima ad nos pervenit Aeschyli fabularum conditio, ea nonnullis in locis vel eo pertinet, ut per totum aliquod carmen aut omnia incerta vacillent, neque vel verborum perspiciatur sententia vel numeri compareat idonea ratio, aut si non omnia sunt tam turpiter vitiis inquinata, at saltem ita maculis squaleant, ut responsionis obscuretur ratio. Quorum prius quum in Supplicum carmine inde ab versu 805, esset factum, in Septem

contra Thebas parodo alterum: Supplicum carminis nullam omnino habui rationem, alterum vero locum certas quasdam ob caussas seorsum constitui tractare. De reliquis violatae concinnitatis exemplis iam dicetur. Nullum exstat in Prometheo, nullum in Choephoris, unum in Eumenid. vss. 152. 158.

μεσολαβεῖ κέντρῳ.
φονολιβῆ θρόνον.

ubi Wakefieldii emendationem *θρόμβον* iure suo probat Hermannus. Nequaquam enim esse K. O. Muellerum audiendum, etiamsi verum foret quod ait, aliis quoque locis hanc reperiri responsionem, alia quadam demonstrari potest argumentatione. — Duo sunt in Agamemnone exempla: vss. 393. 410.

κλόνους λογχίμους τε καὶ ναυβάτας ὁπλισμούς
πάρεισιν δόξαι φέρουσαι χάριν ματαίαν.

qui versus omnino longam illam anacrusim admittere non videntur, quare Hermannus *δόξαι* mutavit in *δόκαι*, quod recepit Dindorfius, quem nunc aliter hos versus disponere Weissenbornius refert de vss. iamb. antisp. p. 41. improbante tamen Hermanno in Diar. philol. l. c p. 397.
et vss. 1088. 1099.

φόνου. στάσις δ' ἀκόρετος γένει.
τύπτει. πίπνει δ' ἐν ἐνύδρῳ τεύχει.

τεύχει mutavit Blomfieldius in *κύτει*, quod eius iudicium amplexus est nuper Hermannus, qui in eandem se incidisse olim coniecturam refert in Diar. phil. a. 1835. p. 894.

Quae praeterea inveniuntur exempla non unam ob caussam suspecta sunt. Einsmodi est quod in Suppl. legitur vss. 559. 568.

κεντροδα — λήτοις θείας Ἥρας.
οἰστροδόνητον Ἰώ.

Fuerunt qui strophicum versum dochmiacum hypercatalectum statuerent, credo quia aut metrorum erant inscitia seducti, aut inepta tenere quam librorum scripturam deserere tutius habebant. Quorum sententia quum tribus maxime possit gravissimis impugnari argumentis, eorum unum eiusmodi est, ut supersedere reliquorum enumeratione facile possimus, siquidem certo nondum est probatum exemplo, ultimam dochmii hypercatalecti anacrusim longam ab quoquam esse admissam poeta: cuius argumenti qualis accessio fiat, perspectum erit actutum. Quae vero praeterea modo narravi accedere argumenta duo, eorum alterum in illicita cernitur incisione — si hanc quam caesuram appellare mavis — in anacrusi priore longa alterum: ea enim admissa proximam arsim oportuit solutam, quod quam habeat vim clarissima in luce posituri sumus, quum ad omnes istud praeceptum pertinere dochmios demonstraverimus. Nunc autem, ut ad aliud quiddam orationem meam deducam, nunquam dochmios hypercatalectos ita esse usurpatos contendo ut dochmio adiuncto acatalecto unus efficeretur versus. Eiusmodi dimetrum, si commixtos hos versus appellare sic licet, in Agamemnone video statui verss. **1114. 1124.**

ἀκόρετος βοᾶς, φεῦ ταλαίναις φρεσίν.
μελοτυπεῖς, ὁμοῦ τ' ὀρθίοις ἐν νόμοις.

Versus sunt dochmiaci cum creticis, id quod in antistrophico verborum commendatur, quem ea tenent ambitu, et quum *φεῦ* artius cum proxime sequentibus coniunctum sit verbis, idem confirmat strophicus. Gravissimum vero argumentum in eo existimo cerni, quod ultima strophici versus syllaba anceps hoc loco ferri posse nullo modo videtur. Hermannus quidem in Elem. doctr. metr. p. 250. excusationem censet

productioni brevis syllabae parari a nomine proprio quod sequatur: cui argumento ita tantum vim suam arbitror inesse, ut non nomini proprio in universum id tribuatur, sed nomini proprio certo cuidam quale est *Ἴτυς* quod hiatum quidem efficit nullum in Sophocl. Electr. **145**. in metro dactylico heroici versus leges sequenti. Id vero alienum a numero dochmiaco.

Plane eadem forma sunt eiusd. fab. vss. **1089. 1100.**

κατολολυξάτω θύματος λευσίμου·
δολοφόνου λέβητος τύχαν σοὶ λέγω.

quos recte constituit Augustus Seidlerus de verss. dochm. p. **165**. sicut Promethei vss. **590. 611.**

κλύεις φθέγμα τᾶς βούκερω παρθένου;
θρόει, φράζε τᾷ δυσπλάνῳ παρθένῳ.

In Agamemn. **1107. 1117.**

ἰὼ ἰὼ ταλαίνας κακόποτμοι τύχαι.
ἰὼ ἰὼ λιγείας μόρον ἀηδόνος.

epiphonemata etiam separatim poni posse Seidlerus censet l. c. p. **171**. sed rectius alterum *ἰώ* deletur.

Etiam in Eumenid. vss. **808. 839.** dochmium cretici sequuntur

νύξ. ἀπὸ γάρ με τιμᾶν δαμαίαν θεῶν.

In Sept. c. Theb. vss. **329. 341.**

πρὸς ἀνδρὸς δ' ἀνὴρ ὑπὸ δορὶ καίνεται.
κυρήσας. πικρὸν δ' ὄμμα θαλαμηπόλων.

ὑπὸ δορί neque ferri potest, neque ulla nititur auctoritate. Hunc locum Franciscum Passovium memini ita corrigere

πρὸς ἀνδρὸς δ' ἀνὴρ δόρει καίνεται.
κῦρσαι πικρὸν ὄμμα θαλαμηπόλων.

Fridericus Ritschelius in Ephem. litt. Ienens. a. **1830.** m. Febr. p. **204**. sic emendavit:

κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ, ποτὶ δ' ὁρκάνᾳ πυργωτῇ·
πρὸς ἀνδρὸς δ' ἀνὴρ δορεὶ καίνεται.

παντοδαπὸς δὲ καρπὸς χαμάδις πεσὼν ἀλγύνει
κύρσας πικρὸν ὄμμα θαλαμηπόλων.

Praeter haec quae commemoravi exempla non memini me hanc versus formam apud Aeschylum reperire, de qua quid statuendum sit, facile potest iudicari. Quum vero semel de hac re disputationem inchoassem, hic statim placuit de dochmio illo hypercatalecto, qui quidem in antistrophicis reperiatur responsionibus, pauca quaedam adiicere, ne iterum oporteret ad eam rem reverti. Quemadmodum igitur in initio versus statui vidimus dochmium hypercatalectum, sic etiam acatalectum sequitur hypercatalectus, ita ut unus efficiatur versus. Huius rei exempla inveniuntur haecce:

Eumenid. 163. 167.

μυχὸν ἔχρανας αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος,
ὑπό τε γᾶν φυγών, οὔ ποτ' ἐλευθεροῦται.

et plane eadem forma Suppl. 629. 638.

τὸν ἀρότοις θερίζοντα βροτοὺς ἐν ἄλλοις.
ἐπ' ὀρόφων μιαίνοντα· βαρὺς δ' ἐφίζει.

et longa dochmii anacrusi ibid. 644. 654.

ἐκ στομάτων πυτάσθω φιλότιμος εὐχά.
πρεσ — βυτοδόκοι γεμόντων θυμέλαι, φλεγόντων θ' —

ibid. 347. 358.

ἠλιβάτοισιν. ἀλκᾷ πίσυνος μέμυκεν.
ἱερόδοκα θεῶν λήμματ' ἀπ' ἀνδρὸς ἁγνοῦ.

et primitiva dochmii forma Pers. 253. 257.

διαίνεσθε, Πέρσαι, τόδ' ἄχος κλύοντες.
γεραιοῖς, ἀκούειν τόδε πῆμ' ἄελπτον.

nam qui proxime antecedunt versus 252. 256. huc non pertinent.

In his quae attuli exemplis non solum accuratissima responsio verum etiam eadem semper servata est dochmii hypercatalecti forma. Restat exemplum

unum, quod brevem habet dochmii hypercat. anacrusim, quae forma praeterea semel tantummodo reperitur Sept. c. Theb. 403. 438. Dico Agamemn. 1108. 1118.

τὸ γὰρ ἐμὸν θροῶ πάθος ἐπεγχέασα.
περιβάλοντό οἱ πτεροφόρον δέμας γάρ.

Sic correxit Hermannus:*) probabilior tamen videtur Emperii emendatio in Diariis philolog. a. 1835. p. 632. proposita

---

*) Immerito Wellauerum hiatus offendit, quum haec pronominis forma ad ea pertineat vocabula quae cum digammate pronuntiabantur. Certum huius hiatus exemplum exstat in Sophocl. Trach. vs. 647. ἃ δέ οἱ et alterum quod ex coniectura restituit Hermannus in Electr. 188. ὅτε οἱ. Vim suam exercere puto digamma in προσελούμενον vocabulo Prom. 436. eademque ratione in Sept. c. Theb. 667. scribendum videtur κακῶν δὲ καὶσχρῶν οὔ τιν' εὔκλειαν ἐρεῖς. — Ceterum quem τί οὖν vocabulorum hiatum ferendum esse fere consentiunt viri docti, τί οὐ vero an non dictum sit etiamnum dubitant, non videtur illud satis iusta niti ratione, quum haec non οὖν vocabuli sua quaedam propria sit vis, sed τί pronominis quod elidi nequit. Ante οὐ vocalem igitur si ponitur istud pronomen, perinde potest τί οὖν dici atque τί οὐ quorum posterius Sophocles videtur dixisse in Philoct. vs. 100., ubi in omnibus quidem libris τί οὖν positum est. Hoc autem si verum esset, sententia huius versus haec foret: „quid aliud igitur mihi imperas nisi ut mentiar?" quod alienum est ab hoc loco, quum Ulixes verbis dixerit neque factis omnia regi, et ita tantum ferri posset, si haec mendacia esse quae sibi imperantur, demonstrare vellet Neoptolemus Ulixi id ipsum neganti, quod tamen secus esse imprimis vers. 82. docet. τί ἄλλο autem si quis interpretari vellet „quid praeterea mihi imperas?" et οὖν otiosum foret, neque aliud quiddam exspectare poterat Neoptolemus sibi imperatum iri ab Ulixe. Quid multa? negatio desideratur, et hoc dicit Neoptolemus: „quandoquidem lingua est tanti facienda, cur non aliud mihi imperas ut dicam praeter mendacia, quidni ei potius persuadeam?" quod ipsum vs. 102. dicit. Quicquid igitur statuitur de hiatu, negatio hoc loco necessaria est.

τὸ γὰρ ἐμὸν θρόῳ πάθος ἐπέγχεα.

„nam meum quoque dolorem (infortunium?) lamentationi meae immiscui.“ In antistrophico autem versu παρέβαλον praeferendum esse videtur, quum παρεβάλοντο scriptum in libro Mediceo exstet. — Aliam huius loci emendationem vide in Diar. phil. a. 1834. p. 87. De K. O. Muelleri invento in Eumenid. editione p. 66. prolato dixit Hermannus.

Hoc igitur exemplum quum non tueatur illam dochmii hypercatalecti formam, non magis ea altero, modo quem significavi loco statuenda videtur. Leguntur ibi haecce:

τρέμω δ' αἵματη —
φόρους μόρους ὑπὲρ φίλων
ὀλομένων ἰδέσθαι.
antistr. ἑδωλίων ὑπερκόπῳ
δορί ποτ' ἐκλαπάξαι

Trochaici enim generis sunt sine dubio versus postremi: neque alienum ab hoc loco opinor versum ithyphallicum esse, quum numero iambico transitus paratus sit.

Etiam iteratum poni dochmium hypercatalectum Hermannus docet in Elem. doctr. metr. p. 254. ubi Agamemn. vs. 1074. et Eumenid. 757. affert, quorum posterior tamen bacchiacus esse videtur, ut de quo p. 293. Promethei versu dicit. Usitatae formae dochmii hypercatalecti coniuncti sunt in Suppl. vss. 625 634.

Διογενεῖς κλύοιτ' εὐκταῖα γένει χεούσας.
ψῆφον ἔθεντ', ἀτιμώσαντες ἔριν γυναικῶν.

Itaque pro certo illud potest poni, in dochm. hypercat. semper accuratam apud Aeschylum institui responsionem, legitimamque unam esse formam hanc —⏑⏑—⏑—⏑ et raro tantum alteram ⏑—⏑—⏑—⏑ in-

veniri, cuius exemplum praeterea exstat in Prometh. 579. 600: quanquam tota haec res accuratiore etiamnum indiget inquisitione.

Ex his modo quae disputavimus, intelligitur quo illorum sententia iudicio nitatur, qui Supplicum versum 559. dochmiacum hypercatalectum habent, cui recte respondeat vs. 568. Corrupti strophici emendatio non est difficilis. In Mediceo enim libro quum *θυΐας* positum esset, recipiendum sine dubio *θυιάς*, quo et sententia et numeri adiuvantur.

Venio ad Persas. Dochmiacum dimetrum sibi visus est Wellauerus invenisse vss. 916. 928.

οἴ οἴ οἴ βόα καὶ πάντ' ἐκπεύθου.
οἴ οἴ οἴ οἴ ποῦ δέ σοι Φαρνοῦχος.

At his quidem versibus haud scio an excogitari nihil quicquam rudius possit: neque antistrophicus versus ob eam, quam saepe dixi caussam dochmiacus esse potest. *οἴ* in libris ter legitur, ita ut correctione indigeat locus, quae tamen quum plures pateant viae, dubia debet videri. Aut enim scribi potest *οἴ βόα* et in antistr. *οἴ οἴ ποῦ* ut cretico respondeat molossus, quod fieri posse confirmavit olim Hermannus, ego an nunquam sit factum admodum dubito, unum enim quod exstat apud Aeschylum exemplum aperte vitiosum est: aut librorum scriptura servata *βόα* vocabulum synizesi efferri, quod non magis videtur probabile esse: aut denique *βῶ* restitui, quam imperaviti formam Guilelmus Dindorfius in poetar. scenic. edit. praef. p. XIII. Aeschylo vindicavit. Vere autem si volumus iudicare, non dochmiacos habebimus istos versus, quos potius credibile est eius numeri esse, quo in toto hoc carmine usque ad versum 963. Chorus et Xerxes loqui exordiuntur, ita ut hanc in speciem censeam restituenda haec esse:

οἴ βῶ καὶ πάντ' ἐκπεύθου.
οἴ ποῦ δή σοι Φαρνοῦχος.

Alterum eius rei, de qua agitur exemplum est vss. 947. 961.

ἔλιπες ἔλιπες; ὦ ὦ δαΐων.
ἔταφεν ἔταφεν, οὐκ ἀμφὶ σκηναῖς.

ubi sine ulla fere mutatione restituendum est ὦ ὦ ὦ δᾴων quod iam Dindorfium video occupasse. Ceterum hic quoque versus anapaesticus esse videtur, ut complures alii in satis corrupto hoc carmine, qui dochmiaci habentur: quae res minus explanari potest quam intelligi debet. Dignum quidem illud est commemoratu, nusquam in reliquis Aeschyli fabulis proceleusmaticum reperiri pro anapaesto: quo tamen si quis sese pateretur adduci, ut omnino excludendum existimaret proceleusmaticum, falleretur incredibiliter. Atque hoc quidem dubitari nequit quin anapaestici dimetri sint versus 893. 894.

Ἀσία δὲ χθὼν, βασιλεῦ γαίας,
αἰνῶς αἰνῶς ἐπὶ γόνυ κέκλιται.

Idem confirmare licet de verss. 897. 905. et evidentissime de vss. 922. 934. Antistrophici enim versus scripturae discrepantiam si quis recte contenderit: ἐπανέρομαι, ἐπανήρομαι libri Medicei, et ἐπαναιρόμην, quidque aptum sit hoc loco cogitaverit, verum haud dubie intelliget esse ἐπανερόμαν Wellauerianum. Hic autem versus, quoniam in strophico non licet ab optimorum librorum recedere scriptura Ἀγβάτανα λιπών, necessario anapaesticus est. Illud autem quod dactylum sequitur anapaestus, in hoc metri genere nullam omnino habet offensionem. Idem factum vs. 910. qui cum strophico ita scribendus est:

πέμψω πολύδακρυν ἰακχάν.
κλάγξω δ' αὖ γόον ἀρίδακρυν.

primus enim et postremus versus sunt paroemiaci, medii anapaestici dimetri. Monometer cum penthem. iamb. iunctus est 948. 962.

Πέρσαις ἀγαυοῖς κακὰ πρόκακα λέγεις.
τροχηλάτοισιν ὄπισθεν ἑπόμενοι.

et 935. 949.

ἰὼ ἰώ μοι τὰς ὠγυγίους.
ἴυγγά μοι δῆτ' ἀγαθῶν ἑτάρων.

Versus 917. 918; 929, 930. rectius ita distribuuntur:

ποῦ δὲ φίλων ἄλλος ὄχλος, ποῦ
δέ σοι παραστάται.
κἀριόμαρδός τ' ἀγαθὸς, ποῦ
δὲ Σευάκλης ἄναξ.

Ceterum *κἀριόμαρδός τ'* certissima est scriptura contestata etiam libri Medicei auctoritate in quo scriptum est *Ἡ ἀριόμαρδός τ'*: *η* enim et *κ* sexcenties in hoc libro permutantur.

Illuc revertor. Duo reliqua sunt in Persis exempla, quorum unum est vss. 649. 654.

βαλὴν ἀρχαῖος βαλὴν ἴθι, ἰκοῦ.
ὅπως καινά τε κλύῃς νέα τ' ἄχη.

cui quidem exemplo nihil equidem tribuo. Antistrophici enim versus integritatem tria suspectam reddunt argumenta, quorum de uno hic agitur, de altero §. 6. expositum est, tertium denique in mira loquendi ratione ponitur *καινά τε νέα τ' ἄχη*: quocirca *ὅπως καίν' ἄλγη* suspicor Aeschylum scripsisse, quod facile poterat in alterum converti.

Alterum est vss. 272. 278.

ἴυζ' ἄποτμον βοάν.
στυγναὶ δ' Ἀθᾶναι δᾴοις.

quod ita forsitan defenderit quispiam ut *δᾴοις* vocabuli penultimam corripi dicat: id enim vel in trimetro

iambico, sibi indulsisse Aeschylum in Prom. solut. fgm. 182. ed. Dindorf.

βαλὼν δηώσεις ῥᾳδίως λίγυν στρατόν.

ubi tamen verum est *διώσεις* ut Euripid. Heracl. 995: quam Seidleri de verss. dochm. p. 102. correctionem non debebat negligere Matthiaeus gr. Gr. p. 97, neque de *παλαιός* vocabulo Seidlerum, sed G. Dindorfium iubere conferri. Quodsi igitur illo Persarum loco *δάοις* penultimam corripere non potest, vitium in hoc versu necessario inest. Quod ne quis sit admiratus ita a me contendi, quum id ipsum nunc agam ut demonstrem, sic habeto. Non quaeritur hic de versibus dochmiacis in universum, sed de certa quadam eorum forma, in qua non solum apud Aeschylum, sed haud scio an apud nullum poetam longae anacrusis exemplum reperitur. Accedit vero alterum argumentum ad Aeschylum solum pertinens: utrumque neglectum ab criticis. Nunquam enim Aeschylus dochmio praemisit unum spondeum in hac quidem versus forma, quae solutionibus caret, sed constanti usu iambum purum, ita ut eo minus in responsione posset iambus opponi spondeo, id quod hoc loco est factum. Utrumque praeceptum ut cognoscatur non paucis quibusdam niti exemplis, ea adiicienda putavi. Sept. contra Theb. 150. 157; 272. 289; 273. 290; 274. 291; 716. 724; 720. 728; 721. 729; 817. 825; 856. 862; 858. 864; 871. 883; 896. 907; 897. 908; 923. 935. Pers. 964. 970; 966. 972; 967. 973*; Suppl. 682. 688; 683. 689; 760. 768. Agamemn. 234. 244; 362. 379; 363. 380; 403. 420; 428. 446; 429. 447; 741. 749; 1095. 1106. Choeph. 402. 415; 425. 446; 426. 447; 430. 435; 431. 436; 618. 626; 928. 939. Eumenid. 153. 159; 359. 367; 360. 368. — Aga-

memn. 462. 463. 467. 470. Eumenid. 252*). — Mirum praeterea debet illud videri, quod optimi libri in strophico versu ἴυζε habent ε littera non elisa, in antistrophico autem δαΐοις, ita ut sic coniicere liceat antiquitus scriptum fuisse:

ἴυζε δύσποτμον βοάν.
στυγναὶ δ' Ἀθᾶναι δαΐοις.

Una restat Septem contra Thebas, in qua quae parodo excepta inveniuntur exempla, adiecimus. Ac de vss. 204. 211.

ἁπτόμενον πυρὶ δαΐῳ.
κρημναμενᾶν νεφελᾶν ὀρθοῖ

quae esset sententia nostra §. 4. ostendimus.

Versu 399. quem cum antistrophico suo sic exhibuit Wellauerus

τὸν ἁμὸν νῦν ἀντίπαλον εὐτυχεῖν
ὅλοιθ' ὃς πόλει μεγάλ' ἐπεύχεται.

ἁμόν νυν verum esse sententia docet et intellexerunt editores periti. Versus 680. 687. quod attinet

ἀλλὰ σὺ μὴ 'ποτρύνου. κακὸς οὐ κεκλή —
σει.
νῦν ὅτε σοι παρέστακεν· ἐπεὶ δαίμων.

non id equidem agam, ut emendando longam removere studeam anacrusim, illud autem recte mihi videor statuturus, si eandem, quam alibi offendimus positionis vim debilis ut dicunt, hanc quoque in partem valere, tertiamque κεκλήσει vocabuli produci contendo.

---

*) Quod ad iambum istum attinet dochmio praemissum, proprium illud est Aeschyli solius: apud Sophoclem iambus et spondeus sibi oppositi sunt Oedip. T. 1337. 1357. Electr. 1074. 1082. et utrobique spondeus Oed. Col. 1561. 1572. Electr. 1399. 1421.

Versu denique proximo 681.

κεκλή — σει βίον εὖ κύρησας· μελαναιγὶς δ' οὐκ.

recte editores praeter Wellauerum omnes *δέ* particulam omiserunt.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1.

De loco quo Euripidis Hecuba agatur nequaquam esse rem tam expeditam, ut nuper visum est Gruppio in libro quem de tragica Graecorum arte scripsit p. 374. quum certa arguunt testimonia, tum ipsius fabulae docet vs. 325. *ὧν ἥδε κεύθει σώματ' Ἰδαία κόνις.*

2.

Aeschylus in Prometheo nullo modo usus est tertium partium actore.

3.

Guilelmus Dindorfius quum in poet. scen. ed. ad Eurip. Phoen. vs. 1107. pervenisset, recordari debebat Aesch. Sept. c. Theb. vs. 641.

4.

In Cicer. de republ. l. I. XXVII. 43. criticae artis regulis conveniens emendatio est haecce: et quum omnia per populum geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, quoniam habet nullos gradus dignitatis.

5.

Obscuratae Ciceronis sententiae de orat. libr. I. XXVIIII. 133. hanc in speciem restituenda est integritas: Nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices — quicquid est istud, quod tu in dicendo potes: neque enim sumus nimis avidi, ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, idque ex te quaerimus, ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assecutus es — quoniam quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea assumendum putes?

6.

Ciceronis verba in epist. ad Attic. II. v. 2. perpolienda existimo in hunc modum: De istis rebus exspecto tuas litteras: quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat; et qui consules parentur, utrum ut populi sermo Pompeius et Crassus, an ut mihi scribitur cum Gabinio Servius Sulpicius; et num quae novae leges; et num quid novi omnino; et quoniam sqq.

VITAE ENARRATIO.

Paucis diebus posteaquam Franciscus pater, qui quodam quaestoris munere Rybnicii fungebatur Silesiae oppidulo de vita decessit, partu editus sum postremo Robertus Rudolphus Henricus Enger a. d. III. Idus Ianuar. a. CIↃIↃCCCXIII, a Philippina matre egente Kutachem. Quae quum certis quibusdam de caussis, credo domesticis maximam partem in pagum quendam haud illum longinquum sese conferre in animum induxisset, septem tamen post annos vel propterea constituit iterum migrare in urbem, quod qui duo eramus infantes, Ida mea, soror dilectissima et ego, — quem enim praeterea Franciscum habeo fratrem, is iam reliquerat familiae tenuitatem nostrae — eorum alteri multa apparebat deesse, quibus carere nostrae aetatis puellae vix possant, ego vero ne aspiraveram quidem ad prima litterarum elementa propter turpissimam scholarum eius regionis conditionem. Oppido igitur iccirco petito quartum post annum Glivitium me contuli frequentaturus ibi gymnasium, cui tum praeerat et etiamnum praeest Kabathius rector: cuius sicuti ceterorum gymnasii illius praeceptorum quum grato semper, ut par est, animo memoria mihi

sit repetenda, unius tamen mirum in modum cor veor Brettneri recordatione, cuius et eruditione mediocriter sum adiutus quaeque illam aequaveri beralitate summa. Septem ibi annos commoratus turitatis testimonio accepto Vratislaviam petii d viginti puer annorum. Hic quem iam pridem c peram philologiae studii amorem, quemque mo tellexi insigniter in dies augeri, eam in me facile sus sum vim exercere, ei ut continuo operam r totam navarem, nec praemitterem Francisci Pas et Caroli Schneideri tum publicis interesse sc tum quas iidem moderabantur seminarii philol disputationibus. Atque Passovii quidem non satis diu institui doctrina: contigit vero, ut F ricq Ritschelio uterer praeceptore, quem tum tato modo audivi docentem, tum nunquam adii, mihi multa multis in rebus attulisset adiumenta. cesserunt Ambroschii, Hoffmanni, Bachii institutic Hoc igitur studio ita tractato, non eram imme eorum, quae de omnium ingenuarum artium di quodam vinculo Ciceronem accepimus dixisse, et Wachleri et Stenzelii historicas, Rohovskii et I nissii philosophicas frequentavi scholas, tum ab thematicarum et physicarum rerum non abhorrui gnitione praeceptoribus usus Scholzio, Steffen Pohlio, Frankenhemio, ab quibus quae accepi, memoriae mandavi, ut aliquando diligentius tractan et cogitanda vim suam confidam non sine quad utilitate mea esse exercitatura.